



HOtherus ex regum Suetiæ familia prognatus, atque à Geuaro viro prudentissimo educatus fuit. adolescentes factus coæuis suis summa corporis firmitate præstabat. Ingenio etiam multas artes didicerat: quippe natationis, arcus, cæstuumq; peritia omnes superabat. Nemo illo chelis aut lyrae doctior erat. nam ad quoscunque uolebat motus, uarijs modorum generibus humanos impellebat affectus. Tot iuuenis artibus instructus Namnam Geuari alumni filiam uxorem duxit. Erat quidam Balderus Othini magi filius, hjsdem artibus quibus pater imbutus, qui et ipse magno huīus pueræ desiderio flagrabat. Itaq; aliquoties Balderus & Hotherus congressi, dubio Marte inuicem q; discesserunt. Tandem uero Hotherus à Mimingo syluarum satyro talem gladium accepit, quo cōtra omnes magorum præstigias lorias, uestes, & cutem scindere posset. Itaque eo accepto Balderum prostrauit, & magnum sibi fortitudinis nomen comparauit.